







Stanford University Libraries
3 6105 215 838 066




Enarravit Petrus Langen
C. Valeri Flacci Argonauticon libros octo.

Recensuit
J. B. Hublocher.

PROGRAMM
des
K. humanistischen Gymnasiums Landshut
für das Schuljahr 1903/04.

JOS. THOMANN'SCHE BUCH- UND KUNSTDRUCKEREI, LANDSHUT.



Caius Valerius Flaccus Setinus Balbus, qui Vespasiani aetate[1]) poëtica laude floruit, Argonautarum res octo libris[2]) cantavit.

Multos annos carmen elegantissimum ut omnia scriptorum Graecorum et Romanorum opera in silentio iacebat, donec humanitatis studiis expergefactis ab oblivione vindicatum est (a 1417 in bibliotheca Fani St. Galli repertum est). Ex quinto decimo saeculo multi viri docti ad Valeri opus animum intenderunt et usque ad undevicesimum saeculum quadragies editum est.

Et quod codex Vaticanus numero 3277 signatus, quem unicum traditi carminis fontem etiam quinto decimo saeculo fuisse verisimile est, librariorum incuria innumerabilibus quibusdam mendis erat repletus, editoribus et emendandi et interpretandi creberrime oblata erat occasio.

Quae quidem Heinsius et Burmannus profecerunt in aperienda multorum locorum intellegentia, ea vigebunt, donec Valeri carmen legetur.

Ne praeterito quidem saeculo defuerunt, qui Valerianis studiis operam navarent.

---

1) Ubi et quo anno poëta natus sit ignoramus; decessisse eum circa annum p. Chr. n. nonagesimum secundum ex Quintil. instit. orat. l. X. 1,90 apparet.

2) Opus ad finem adductum non est. Utrum poëta carmen perficere non potuerit an extrema pars perierit non liquet. Iam Baptista Pius (ann. post. c. 102), qui a. 1519 Bononiae carmen edidit, et Petrus Crinitus (de poet. lat. l. IV, c. 66) opinati sunt Valerium, ne carmen perficeret, esse impeditum. cf. Schenkl, Sitzungsber. d. Wiener Akad. 68 p. 279.

Idem censent Thilo (prolegg. p. XXVI sqq.) et Schenkl, qui l. l. p. 278—303 limam a poëta adhibitam non esse demonstrat ultimam.

Anno 1805 Ioannes Augustus Wagner Gottingae edidit Argonautica. Eodem anno Erfurtiae Argonautica versibus Germanicis reddita cum textu et notis edidit Wunderlich.

Anno 1811 carmen editum est Parisiis ab Adolpho Dureau de Lamalle cum versione Gallica,

anno 1817 Misniae Argonauticorum librum octavum in lucem edidit A. Weichert.

Anno 1825 Parisiis edidit Lemairius Valeri carmen, ut ipse in titulo praescribit, veteri novaque lectionum varietate, praecipue I. Wagneri adnotationibus. Suum commentarium in calce singulorum librorum addidit. Quod Io. Nic. Madvigius[1]) de Lemairio hoc facit iudicium:

Lemairius, homo non sane criticae artis peritus . .,

artem sane criticam non tam immodice exercuit, quam multi alii, qui haud raro et iis locis, ubi nihil erat mutandum, coniciendi et emendandi tentationi non restiterunt; at bene interpretatus est carmen et utilem indicem operi suo adiecit.

Anno 1863 Halis Saxonum Georgii Thilonis Argonauticorum editio in lucem prolata est, quae optimum habet apparatum criticum. In praef. pag. 31 dicit vir doctus: nisi cum in toto Valerio tum in hoc (octavo) libro potissimum artem criticam non ita severe factitandam esse scirem . . .; ac per totum librum eius vix unam dubiam coniecturam invenias, immo codicis Vaticani lectiones qua potest servat. In praefatione autem multis obscuris locis lucem afferre ei contigit.

Simili ac Thilo moderantia in tractando opere tradito usus est Carolus Schenkl, qui Valerium anno 1871 Berolini in lucem edidit.

Longe autem aliter rem tractavit Aemilius Baehrens, qui anno 1875 Lipsiae edidit Argonautica. Etsi enim nonnunquam egregiis coniecturis corruptorum locorum intellegentiam expedivit, saepenumero eo coniciendi licentiae est progressus, ut Valeri verba, etiamsi non suspecta erant, temere commutaret.

Ex anno 1875 nemo iam Valerianum carmen edidit, quoad anno 1894 in indice lectionum academiae Monasteriensis Petrus

---

1) Adversaria critica ad script. Lat. Hauniae 1873 II p. 152.

Langen, litterarum Latinarum professor ordinarius, »quaestiones ad Valerium Flaccum spectantes« in lucem protulit. Tractavit picturas a Valerio descriptas in Argonauticorum libro primo (v. 130—148), secundo (410—417), quinto (416—438).

Secuta est altera quaestionum pars in indice lectionum habitarum per menses hibernos anni 1894/95, in qua vir doctus de quibusdam locis emendatione egentibus[1]) disseruit.

Opere hoc modo praeparato Petrus Langen anno 1896 Berolini[2]) Argonauticorum priorem partem continentem libros I—III et anno 1897 alteram partem continentem libros IV—VIII in lucem edidit.

Et ut fieri solet, vix nova editio lucem viderat, cum iudices litterati exstiterunt, qui censuram fecerunt de opere professoris Monasteriensis. Recensuerunt editionem Fridericus Leo,[3]) A. Zingerlius,[4]) C. Schenkl.[5]) Quorum in numero habendus est etiam Iohan Samuelsson, qui in commentatione academica, quae studia in Valerium Flaccum inscribitur anno 1899 Upsaliae typis vulgata creberrime Langeni opus attingendi eiusque commentarios aut laudandi aut refellendi occasione utitur.

Horum iudicum et ego quasi sectam sequi constitui auctore Woelfflinio, viro doctissimo et benevolentissimo, magistro meo admodum venerando.

In tractanda autem quaestione rem ita disponam, ut primum in universum de Langeni libro faciam iudicium, tum autem singula deligam, quae aut adnotatione aut commutatione vel correctione indigere videantur.

Fridericus Leo[6]) de Langeni libro dicit: Dieses letzte Werk des jüngst verstorbenen, um die Erforschung mehr als eines Gebietes der römischen Literatur verdienten Mannes ist ein

---

1) I 51 sq: 264 sqq; II 61 sq; III 46 sqq; 257 sqq; 267 sqq; 277; 514 sqq; IV 161 sq; 181 sqq.

2) Berliner Studien für klassische Philologie und Archäologie, redigiert von Dr. Oskar Seyffert. 9. Folge Band 1.

3) Göttinger gelehrte Anzeigen 1897. XII p. 953—976.

4) Zeitschrift für die österreichischen Gymnasien 1898. I p. 37—39.

5) Wochenschrift für klassische Philologie 1898 Nr. 1 p. 6—11.

6) l. l. p. 953.

Buch von der Art, wie wir viele brauchen und nicht gar viele besitzen.

Atque in hoc opere nihil desideratur, quod a bona veterum scriptorum editione petimus: quicquid pertinet ad illustranda Valeri verba saepenumero perobscura, summa diligentia atque intellegentia collatum a viro litterarum peritissimo invenimus.

Iis, quae priores Valeriani carminis editores et commentatores elaboraverunt, ita utitur, ut, quae digna putabat, in suum usum converteret; quae ipse sibi observasse videbatur, addidit.

Ita commentario omnibus fere numeris absoluto difficultates persaepe non parva feliciter infringuntur.

Adnotationes, quae rem spectant, diligentissime perscriptae sunt: Apollonius Rhodius saepenumero affertur; nonnullis sane locis praeter allatos comparationis causa bene commemorari potuisse Graeci poëtae carmen ex altera huius quaestionis parte poterit intellegi. Plinii, Strabonis, Ammiani Marcellini notis res geographicae collustrantur; item Herodoti, Gratti, Taciti, Iustini testimonium haud raro affertur.

Quod pertinet ad fabulas, Langen magna diligentia persequitur collatis Hesiodo, Mythol. Vatic. aliisque; quin latius nonnunquam tales res perscribit, quasi nemo unquam res fabulares tractasset.

De gestarum autem rerum quoties incidit mentio, Diodorus Herodotus, Livius Iustinus ad testimonium vocantur.

Maxime autem laudandus est Langen, quod et veteris artis monumentorum habuit rationem, quamquam in hac ipsa re etiam longius eum progredi potuisse iudico.

Attigit etiam saepissime dicendi genus et grammaticas res[1]) quod rarius fecerunt ceteri commentatores. Quamquam,

---

1) Confer e. gr., quid annotaverit L. de variando historico tempore ad III 509 (Samuelsson l. l. p. 4 praeter illos locos I 58, 120; II 307, 454; III 213, 441; VI 6, 609; VIII 284, 374 affert); de vocabulo dandi cum substantivis notionem soni habentibus aut motum significantibus coniuncto v. ad IV 49; de usu perfecti quod vocant aoristici v. ad III 738; etc. Optime disseruit L. in praef. p. 6—15 de breviloquentiae Valerianae exemplis notabilioribus, de notionibus vocabulorum et locutionibus minus usitatis, de usu transitivo passivi tamquam medii Graecae linguae.

ut etiam latius pateat hoc commentariorum genus ob hoc ipsum optandum est, quod adhuc nemo eorum, qui de Latina syntaxi quam vocant historica scripserunt, Valeri Flacci dicendi genus respexerunt.[1])

Quod autem attinet ad tractanda poëtae verba persaepe difficillima intellectu, propterea quod insolentiora Valerius magis amat quam simplicia et usitata et quod corruptissime tradita sunt in Vaticano codice, qui unicus carminis fons exstat, Langen, ut ipse dicit in praef. pag. 2, in verbis constituendis spreta plerumque Baehrensii nimis festinata opera coniectandique libidine consideratam et circumspectam Thilonis atque Schenkelii rationem secutus est. Haud ita saepe ipse facit coniecturas, multis locis codicis Vaticani lectionem servat.

Atque haec quidem hactenus.

Iam transibo ad alteram quaestionis huius partem et singula editionis loca tractabo, quae notatione digna esse mihi videntur.

Qua in re illud Dorvili ad Charitonem (pag. 410 ed. Lips): — *malo intricatius interpretari quam emendare ita, ut etiam difficultates remaneant* meum facere et demonstrationi meae praeponere velim.

Ac si vel pusillum contuli ad Valeriana studia, me operam non perdidisse iuvabit.

---

1) Conferas velim, quid de hac re l. l. p. 1 dixerit Samuelsson, qui ipse Valeri sermonem diligentissime tractavit.

Liber I.

v. 49. Quod Langen de particulae *que* traiectione disseruit, Leo[1]) refellit ac redarguit. Satis est ultimum explicationis enuntiatum referre, quo quid omnino de hac re sit sentiendum continetur:

Valerius hat offenbar nicht gewagt, über einen von Vergil ausgeprägten Spezialfall hinauszugehen.

v. 51. Langeni coniectura *expendere* melior quam Madvigii *tu pendere* mihi videtur propter consonantiam cum vocabulo cod. Vat. tradito *vel pendere.*

v. 63. *Externo* Vat. cod. lectionem variis modis emendare studuerunt viri docti.

Langen recepit Hartelii coniecturam *ex taetro.* Fortasse servari potest *externo* si interpretamur: *auf der Oberfläche befindlich.* Mel colorem nativum veneno admixto perdiderat et maculis liventibus inquinatum erat.

v. 130. Gronovii coniecturam interpolato vocabulo *insperato* exstructam Langenum non iure recepisse demonstrat Leo.[2]) Traditione *(spe* — rasura sequente) commendatur *sperata,* cui Baehrens felici coniectura adiecit *diu.*

v. 149. Nimis anxie hoc loco Langen poëtae verborum pondera examinat; mihi quidem minime esse videtur, cur vocabula tradita commutentur. Accedit, quod inusitata illa mirandi verbi notio perraro, in Valeri carmine autem omnino non reperitur. Immo mihi probatur Ph. Wagneri[3]) sententia censentis

1) Gött. gel. Anz. 1897. XII. pag. 955/56.
2) l. l. pag. 961.
3) Phil. 20, 619.

comma post *viris* ponendum et vocabulum *sunt* cogitatione addendum esse. Ceterum conferas velim, quae Samuelsson l. l. pag. 102/03 de opponendis duobus verbis inter se cognatis disseruerit.

v. 213. Pro tradito *fremere et legem* Langen scribit *pelagi legem*, qua in re Slothouverum secutus esse videtur. Atque vix dubium est, quin vocabulorum *fremere et* loco substantivi cuiusdam genetivum pendentem ab *legem* exspectemus. *Pelagi* nimium differt ab eo, quod traditum est; quae vox sit substituenda, nescio.

v. 331. Ex hoc loco, quo valde discrepant Vat. et Carrionis codex, Langen praef. pag. 3 praeter alios concludi posse iudicat in Carrionis codicem descriptum ex codice, qui ipse ortus sit ex Vaticano, sed correctus ex altero fonte, nonnulla recepta esse ex antiquitate tradita, quae non nitantur Vaticani auctoritate.

Quodsi *polumque* in Carrionis codicem est interpolatum, hanc emendationem propter nimiam a Vat. codicis lectione discrepantiam non tam felicem esse existimo quam Baehrensii *(petrasque)* vel. Iac. Mycilli *(fretumque)* coniecturam.

Vellem alteramutram Langen recepisset.

v. 369—79. Collatis Apollonii versibus I 161—171 Leo[1]) optime docet non recte Langenum versus 378 et 379 inter versus 373 et 374 posuisse.

v. 449. *Penderet*, quod habet Vat., Langen commutavit vocabulo *perderet*, quod recte ei in editionibus antiquis scriptum esse videtur. Equidem cod. Vat. lectionem servari posse audeo dicere commutato audaciore vocabulo *miseros* in „mersos", quam emendationem iam Heinsium fecisse video. Explico lingua Germanica:

---

1) l. l. p. 962.

Er hatte das Bad, das er seinen Haaren gab, zu büssen, nat. durch Besudelung derselben im schlammigen Wasser des boebeischen Sees.

Conservare autem vocabulum velim eo potissimum, quod plus semel in legendis antiquis scriptoribus, praecipue poëtis, observavi vocabula quaedam, inprimis haud ita usitata, semel usurpata paucis versibus post iterum inveniri. Saepe hoc potest animadverti in Homeri carminibus, haud raro apud Valerium, veluti in libro quinto quinquies reperiuntur talia vocabula repetita.[1])

Facile est intellectu, quae sit huius rei causa: si qua vox rarior semel cogitatione percepta et enuntiata erit, simulatque occasio oblata erit, iterum ea utemur, quasi laetemur rei possessione, cuius denuo conscii nobis facti simus.

Ita etiam hoc loco pendendi verbum 445/49 repetitum esse censeo.[2])

v. 501. Corruptelae ansam in verbo *mundo* positam esse iam Thilo (praef. p. 58) et Baehrens viderunt. Sed non possum probare Thilonis emendationem, quippe quae nimium artificiosa sit, ut ipse concedit. Quod verbum substituendum sit nescio; desiderari autem mihi videtur vox veluti v i d e n t e s, i. e. ante oculos habentes, ut v. 529.

v. 524. Fortasse legendum:

et gemino vocat adiunctas sibi sanguine terras

filiae scilicet et generi sanguine.

v. 563. Quamquam non facilem habent explicatum hi versus, tamen non sunt commutanda, certe non tam violenter, ut fecit Langen secutus Schenkelium.

---

1) v. 160/63 ***arduus;*** 273 (VIII sane versibus intermissis) 282 ***moles,*** quare ***molibus,*** quae coniecit Baehrens, a Valerio scriptum esse iudico; 354/57 ***cultus;*** 446/49 ***paelex;*** 520/24 ***fremit.*** VI, 403/10 ***agmina;*** 556/61 ***cassus.***

2) Conf. II 410!

Dicit Valerius poëtarum modo haud mirifico:

regia me mundo imposuit pro *regia mea imposita est mundo* sive *rex mundo impositus sum.*

v. 637. Equidem Baehrensii coniecturam Beckii praepono, quod desideratur vocabulum, quo quid fatigaverit ora significetur. Ceterum Baehrensium ex Madvigii coniectura *aspectu vota in misero* suam deduxisse pro certo habeo.

v. 671. In Madvigii coniectura *stare loco* ·a Langeno recepta *loco* vocabulum non satis quadrat ad vocem *pontus.*

Hac re sine dubio ductus Spitzer in stud. Vindob. XVI 336 proposuit *stare et opus.*

Laudat Langen hanc emendationem, sed non prorsus intellexisse videtur. Voluit certe Spitzer hoc ita intellegi:

et stare opus (sc. ponto) et tolli habet pontus, quare illud *et* bonam praebet sententiam.

v. 680. *Tantus condere* Heinsii coniectura admodum incerta a Baehrensio submota est coniectura prorsus falsa *sānctūs cŏlērĕ.*

Equidem malim recipere Thilonis emendationem *cernere.*

v. 755. Mea sententia voce *sacerdos* non Aesonem sed uxorem eius significat poëta ex v. 737. Nam *grandaeva Thessalis* vocat atavos, non Aeson. Itaque Valerius expresse dicit: sacerdos praecipitat, Aeson circumspicit.

Liber II.

v. 16. *Bello* non dativum sed ablativum causae intellegendum esse existimo. Pallene a deis damnata est propter bellum, quod illo loco gesserunt cum gigantibus.

v. 38. Quod Langen dicit Valerium oblitum esse vicissitudines dierum et noctium etiam in terra continenti viros expertos esse, ipse oblitus esse videtur Argonautas illam noctem

primam in mari degisse. Non possunt profecto non timere caliginem, qua eis pericula imminentia obteguntur.

v. 61. Langen scribit *atque dei*, ut servare queat *monstrant*. At qui deus Iasoni tale quid suasit?

Ad verba quae sequuntur aptissime comparari possunt quae Hyginus fab. 77 in versibus Creticis tradi perhibet.

Unger[1]) hos versus in P. Ter. Varronis Atacini Argonauticis[2]) fuisse putat. Velim compares Ap. Rh. I 154!

Barthius[3]) autem versus citatos in carminibus Arati *(Φαινόμενα)* conversis fuisse dicit.

v. 67. Inspicias quaeso ad hunc locum Leonis adnotationem, cui libenter assentior.

v. 75. Si collato Vergiliano[4]) illo *his demum exactis* exigendi verbum intellegimus *conficere* sive *superare*, difficultatem amotam esse censeo.

v. 102—106. Locus difficillimus intellectu Madvigii emendatione (longum est omnes doctorum coniecturas enumerare) satis bonam praebet sententiam; *enim* et *eadem* sunt retinenda:

neque enim semper alma est videri (v. Hor. IV 2, 59: niveus videri — non inf. hist.!) ut est tum, cum crinem auro subnectitur, eadem est videri effera etc.

Leo differt in eo ab hac interpretatione, quod *cum tereti — sinus*, quibus verbis animi hilaritatem significari apparet, explicat diversae animi affectionis signa. Inprimis capillis passis significari dolorem vel furorem quis est qui nesciat?

Operae pretium est cum hoc loco ea comparare, quae Lessingius disseruit in ea scriptione, quam Laocoontem inscripsit Stuttg. I. G. Cotta vol. VI p. 53 sq.

---

1) Grat. Progr. Friedland 1861.

2) P. Ter. Varr. Attacini Argonauticarum reliquiae in M. Ter. Varr. Satur. Menipp. reliqu. ed. ab Al. Riese Lipsiae 1865.

3) adv. X 20.

4) Ae. VI 637.

v. 121. *Audentem* quod traditum est Vat. cod., si intellegas mira incredibiliaque narrantem, servari posse videtur.

v. 178. Non possum non probare quae Leo (l. l. p. 964) de hac Langeni emendatione disseruit. Etiam *per ignes culmen agi* ita explicat vir litterarum peritissimus, ut nil dubii in loco difficillimo intellectu remaneat.

v. 196. Assentior Langeno dubitationem Thilonis refutanti; praeterea remittere potuit lectorem ad versum 213, ubi Venus ipsa se primam reverti dicit.

v. 202. Madvigius offenditur adiectivo *Thraca* pro *Thracia.* Sed iure Langen remittit nos ad Verg. Aen. XII 335. Ibi Servius commentator: Thraca autem id est Thracia.

Confer etiam Gell. X 25, 4 Thracae nationis; Cicero de rep. II 9: Coloniarum vero, quae est deducta a Graiis in Asiam, Thracam, Italiam etc.

Pro *palus* Madvigius proponit *salit*, Sandström[1]) *plagas,* sed nimis violenter versum priorem commutat.

v. 244. Simile epiphonema reperitur II 302 et in versibus, qui in P. Ter. Varronis Atacini Arg. lib. I 2 fuisse dicuntur; item in lib. II 2, verba excerpta ex libris Audacis de Scaur. et Pallad. in cod. Bern. 336 saeculi IX.

v. 386 sq. In numero emendationum ad hunc locum a viris doctis prolatarum optima mihi quidem Phil. Wagneri[2]) esse videtur, quod quamquam minime differt a Vat. cod. lectione bonam praebeat sententiam. Ceterum censeo verba *terra iuvat* servari posse. Quare scribendum est:

terra iuvat; brevis in laevos compingitur orbes.

---

1) Emend. in Prop., Luc., Val. Fl. p. 27.

2) Phil. 20, 632

v. 410 sq. Equidem a poëta scriptum esse puto

conscia sacra

texuerat currusque pios

Iterat vocabulum duobus versibus ante usurpatum.[1])

Eadem de causa coniectura, quam Meynckius[2]) fecit (*expressit; acu* nil nisi glossema esse opinatur) mihi probaretur — v. tribus versibus post voc. *expresserat* — nisi, quod ad sonum attinet, nimium differret a Vat. cod. lectione.

v. 479. Quod Langen nimiam hoc loco superlationem commemorat, neglexit *hanc* (sc. beluam) *tu nec montibus ullis nec nostro metire mari* compendiaria quae vocatur constructione dici pro: hanc tu nec metire cum beluis montium et maris.

v. 480. Haud alienum fuit referre, quomodo Herculis cum dracone contentio iis artibus sit tractata, quae versantur in rerum imaginibus effingendis.[3])

Antiphilum eam pinxisse verisimile est ex Plin. 35, 114, Philostratum iun. descripsisse (12). Videas quaeso Campana op. in plast. 21. Pitture d' Ercol. IV 62, ubi vir fortis in monstrum lapidem conicit, v. Fl. II 533.

Apud Winckelm. Mon. ined. 66 draco iam victus ab Hercule humi iacet, Hesionem Telamon de saxo deducit. Et eo refert Wieseler Pitture d' Ercol. IV 61.

Mira quaedam vasis pictura refertur ad Hesiones liberationem, quae ante „Iason in dracone" explicari solebat. (Welcker, alte Denkm. III Taf. 24, 2.) Ad superandum monstrum marinum vir fortis secundum fabulam potissimum ab Hell. in schol. ad Iliad. Y 146 traditam in fauces eius descendit, dextra gladium gestans, sinistra pallium tendens supra caput. Hoc pallium esse videtur, quod ei Pallas dedit sec. schol. Il. l. c.

καὶ Ἀθηνᾶς αὐτῷ πρόβλημα ποιησάσης τὸ καλούμενον ἀμφίχυτον τεῖχος.

---

1) Conf. ea, quae ad I 449 disserui.

2) Quaest. Val. p. 38 (Bonnae 1865).

3) Cf. Baumeister, Denkmäler des klass. Altertums vol. III. Münch. u. Leipz. 1889.

v. 515. In explicanda comparatione prorsus alia ac Langeni mea est sententia.

Firmissime enim teneo id quod iam Wagner, Eyssenhardt, Schenkl fecerunt, non Herculis vim comparari cum borea, sed tertium quod vocant comparationis positum esse in vocabulis *nox* (Thilonis coniectura) et *umbra*.

Optime quidem Langen de Valeri in comparationibus usu disseruit ad v. 515, sed si poëta semel in altero comparationis membro praetermittit vocabulum, quo rem illustrandam postponi indicetur quis est qui offendatur?

v. 536. In huius loci explicatione vocabulo *totis* non est locus. Equidem verba ita esse intellegenda censeo:

Monstrum Herculis ictibus percussum mare profundum contingere studet. Sed priusquam eo perveniat, taetram animam efflat et iacet porrectum per totum vadum, i. e. quousque pertinet aqua tenuis.

Resoluta ita ut Durean intellego.

v. 641. Miror quod Langen ne commemoravit quidem Madvigii coniecturam, quam mea sententia debuit recipere.

Liber III.

v. 11. Fortasse plusquamperfectum quod subsequitur imperfecti *dabat* ansa est: variandi actio antegrediens dando sumitur a poëta; itaque actionem antegressam significat plusquamperfecto, subsequentem imperfecto.

v. 38. Mirum mihi videtur Langenum omisisse illos locos citare, quibus Valerius ipse ministrandi verbo usus est.

IV 8: in accusativo ponitur id quod praebetur, is cui opera navatur, in dativo;

VI 216 obtinet ministrandi verbum vim praebendi; etiam hoc loco iunctum est cum accusativo rei quae praebetur.

v. 48. Paus. VIII 37, 8 et Herod. VI 105 Pani sempiternum ignem in aris ali et pompas festas cum facibus ardentibus ei celebrari perhibent. Itaque Welcker[1]) Panem vere Graecum et in Arcadia indigenam lucis deum *(Φάων)* primitus fuisse arbitratur.

Ob hanc fortasse causam conspicitur Pan in illo pulchro quod vocant Blacasii vase[2]). Paulatim lucis dei notione evanescente veteres assueverunt Panem numen arcanum et mysticum intellegere, quod noctu turbas faceret.

Etiam Valerium cogitasse de hac dei natura apparet ex totius huius loci sententia, quare recte Langen verba mutavit.

Patet traditum cod. Vat. haud mutandum fuisse demonstrat Leo coll. Stat. silv. IV 1, 45 et Mart. IV 64, 18.

v. 66. Vix servari potest Vat. lectio. Constat, etsi Langen ipse — venia sit dicto! — hoc expertus non esse videtur, ebriis res non maiores (nisi forte *maiora* hoc loco significat idem quod plura) sed plures videri. Confer Hor. S. II 1, 25. Quodsi ebrio Rhoeto antrum duplicatum videtur, fieri potest, ut maius conspiciatur, quod vix accidit in astris.

v. 84. Iis locis, quae Langen affert, *sanguineus* attribuitur animantibus, sed non abhorret a poëtarum usu tali attributo uti in rebus inanimatis. Molliri autem tropus videtur, si tubas sanguineas non intellegas sanguinis cupidas, sed ad sanguineum proelium vocantes.

v. 104. Equidem non opus esse existimo cogitare de versu eiecto: versibus 103—105 continetur syllogismus quem vocant, cuius deest propositio minor; maiorem statim sequitur conclusio.

v. 193. Langeni sententiam non probare possum. Immo optime cogitari posse de duorum Cycicenorum certamine iudico: respicias quaeso plusqu. *torserat* et Lunae miserantis mentionem,

1) Griech. Götterlehre I 451 ff.

2) Videas quaeso Baumeister. Denkm. sub voce »Pan«.

inprimis autem *comitem* vocabulum bene quadrans ad Cycicenum, minime ad hostem.

v. 223. Accedunt ad coniecturas a Thilone commemoratas aliae tres: Baehrens scripsit „ausus“, Madvigius „flatus“, Schenkl „aestus“, quod Langen recepit.

Optima mea sententia esset Baehrensii emendatio, si substantivum *ausus* apud scriptores inveniretur. Vergilius septies utitur voce *ausus*, sed nunquam substantivi vi; *ausum*, quod reperitur Aen. X 458 iam a commentatore Servio-recte explicatur: perfectum est praesentis formae quae est v. 284.

Quod Valerius ipse III 613 habet *ausus*, quod a Wagnero explicatur substantivum, Peerlkamp ad Verg. Aen. X 831 scripsit: *ausus* non intellego, et alii docti eum secuti locum corruptum existimaverunt.

v. 256. *Anxius* vix eam habet vim, quam Wagner et Langen huic voci subesse arbitrantur. Equidem Cycicenorum fugam et terrorem Argonautarum eo esse effectam iudico, quod caelo sereno Iuppiter tonuit.

v. 267. *Socias* quod traditum est cod. Vat., Langen commutavit in *caesas* non iure mea sententia. Quos fugerunt Cyciceni? Argonautas profecto amicos opinatos, quos sibi parem exitum esse paraturos suspicabantur ac popularibus suis, quos stratos videbant.

v. 336. Locus, quem variis modis sanare studuerunt viri docti. Nuperrime Leo unum versum ante *funereae* excidisse notat velut

dona viri passimque ferunt decoramina pompae
funereae . . .

coll. v. VII 333, ubi lacunam post *ulla* significat.

Equidem Schenkelii ingeniosa coniectura *funere nec* difficultatem amoveri existimo. Pro *funere* fortasse *funeri* sit ponendum.

v. 341. Lectorem delegat Langen in annotatione ad id, quod Thilo in praef. p. XXVII dixit:

„quae nemo non videt, quam parum apta sint ad l. II v. 393 sqq., ubi subito Minyarum discessu Lemniades quantopere adtonitae essent, Valerius multis verbis descripsit.“

At res ita se habet: Cum Valerius hoc loco iterum commemorans vestem, quam Hypsipyle acu pinxerat, sibi conscius fieret reginam non tam celeriter perficere potuisse opus, quam II 393 dixerat, illum errorem, quem si opus suum retractasset, fortasse prorsus emendasset, quodammodo excusare studet *festina* vocabulo.

v. 407. Qui potest fieri, ut errore aliquis purgetur? Nonne facilius intelleguntur verba, si ita explicantur: eos, qui errore quodam, non consulto sive iudicio aliquod facinus commiserunt, qui igitur re vera innocentes sunt, luit etc.?

v. 473. Langeni explicatio mihi non verisimilis esse videtur. Quamquam quomodo locus obscurissimus sit interpretandus nescio. Conieci *vapor* pro *labor:* tam enixe remos duxerunt Argonautae, ut anhelitu eorum tantus efficeretur vapor, ut spumam adaequaret, quae ex aqua remis pulsa emicabat.

Superlatio sane, sed quae minime abhorreat a poëtarum usu.

v. 478—480. Consentaneum est hunc locum comparare cum Argonautarum catalogo. Ibi quidem Talaus, Iphitus, Amphion in eodem navis latere sedent, sed non deinceps, Hercules vero et Eribotes in altero (dextro) latere remos ducunt.

Qua ex re Valerium sibi non constitisse apparet.

v. 524. Baehrens recepit eam lectionem, quam Thom. Reinesius in ora Valerii sui adscriptam invenit. At de Nymphae hasta etiam mentio fit in versibus, qui attribuuntur P. Ter. Varroni Atacino: l. II 2.

(Dich aber, der du ausholst mit dem Speer der corycischen Nymphe.) cf. Ap. Rh. II 711.

v. 638. Quid velint verba Koestlini *furens periuria,* quae Langen recepit, non intellego. Probabilior Samuelssoni coniectura[1]) „iniuria“.

1) l. l. p. 115.

v. 740. Ego ultimo versu leaenae comparationem iterum adhibitam esse censeo:

Prole adempta nil respicit leaena externam speciem, cum alias generis felini more se comere non desinat.

Comparationis alteram partem, dico Herculis omnium rerum neglegentiam poëta nescio qua causa praeteriit.

Liber IV.

v. 88. Recte fecisse tres recentissimos editores quod servaverunt Vat. cod. lectionem *quod simul adsumpta pulsum fide* Leo demonstrat coll. Prop. II 1, 9: *carmen — percussit* et Ov. trist. IV 10, 50: *dum ferit — carmina.*

v. 175. Servat solus Lemairius Vat. cod. lectionem; *dolet* vocabulum, quod vix poterit defendi, Schenkl in *videt* commutavit et Langen eum secutus est. Atque haec emendatio magis mihi placet quam Madvigii, quae quidem et ipsa bonam sententiam praebet; sed vellem attulisset Langen *sic* vocabuli defendendi causa IV 121 et V 631.

v. 184. Madvigii emendatione *per piceas* pro *respicias,* quod Langeni verbis non satis defensum esse mihi videtur, difficultas amovetur. Ceterum commendatur versu 192: *fuxo te silva ferat.*

Corpora v. 183 mihi probatur.

v. 248. Langen ipse de temporum variatione disseruit ad III 509. Cur hic *lustrarunt* retinere dubitat?

v. 298. Leo servat *tunc* traditum pro *velatus* scribens *latus,* quod explicat ut Bentley Hor. sat. II 3, 183. Atque hoc loco collato non possum non probare Leonis sententiam.

v. 326. Nulla interpretatio satis bonam effecit sententiam. Quare non nisi emendatione locum sanari posse existimo; quid si ponamus: *festasque . . .?*

2*

Laetitia exsultant socii, iuvat eos arma ferre festasque attollere palmas: ii, qui gestant arma manibus, ea sursum ferunt, ii, qui deposuerant arma, festas palmas (solita prosopopoeia quam vocant pro: laeti palmas) attollunt.

v. 357. Quod Langen dicit de verborum *subit ora* vi, probandum est. Fortasse poëta id leviter tetigit Ius commutationem orsam esse a capite. In compluribus Pompeianis parietum picturis Io conspicitur specie humana cornua fronte gestans. Item in vasis pictura reddita ap. Wieseler II 37 Io sedet in altari et quasi proleptice parvum cornu e fronte prominet.

v. 368. Valerius toto vertice, i. e. per totum caput Argum oculos habuisse tradit.

In Hippomedontis scuto Argus pictus erat oculis quasi obsitus sec. Eur. Phoen. 1123.

Bis in antiquis picturis Argo bina ora, ut Iano, attribuuntur sec. versus Hes. Aigim. apud schol. Eur. Phoen. 1123.

Καὶ οἱ ἐπίσκοπον Ἄργον ἵει κρατερόν τε μέγαν τε
Τέτρασιν ὀφθαλμοῖσιν ὁρώμενον ἔνθα καὶ ἔνθα.

Ita Argus fictus est in oxybapho quod vocant Ruvensi (Bullet. napol. III 1845 tav. IV).

Addendum est vas pulcherrimum Ruvense depictum in Mon. Iust. II 59, ubi Argus in pectore et utroque femore binos habet oculos.

Aeschylus nominat eum *μυριωπόν* (Prom. 659), Plautus Aul. III 6 *oculeum totum*, Ovidius Met. I 625 loquitur de *centum oculis.*[1])

v. 449. *Consuetis* compluribus suspicionem movit. Langen enumerandi verbum supplendum esse ratus ad *ex ordine* ita interpretatur: Nil attinet, inquit Phineus, ex ordine enumerare et deplorare fata, quae ferre ex longo tempore assuevi.

Ego ne opus quidem esse censeo ullum verbum supplere, verum fata ex ordine consueta ea esse mala iudico, quibus quis

---

1) Cf. Baum. Denkm. s. voce Argus.

propter perpetuitatem et constantiam, qua invicem se excipiunt, assuevit.

v. 474. Non iure Langen *ante* traditum Balbum secutus commutavit in *parce*. Recte enim Burmannus interpretatus est: priusquam incipiat certamen.

Conferas velim V 260 *ante monens;* VI 582 *ante videns;* VI 664 *ante alludit,* VII 33 *ante aperit.*

Leo commemorat VI 238; 582 VII 621 et conferri iubet *prior* VIII 410.

v. 483. Melius interpungas post *casus* non post *alto.*

v. 522. Ne uno quidem verbo Valerius talis iussus Iovis mentionem facit. Apollonius quidem II 275 Iovem ipsum Boreadas adiuvantem inducit; fieri potest, ut Valerius imitans magnum poëtam Graecum de tali quodam imperio didicisse sibi visus sit.

v. 525. Ut Langen verba tradit, sententiam non satis bonam effici apparet. Libentissime probo Wagneri emendationem, qui pro *nova* ponit *non.* Thilo hanc coniecturam felicissimam appellavit pr. 54, Baehrens eam recepit, Schenkl commemoravit quidem, sed non recepit.

v. 566 sqq. Quamquam non possum non probare Leonis sententiam censentis transponendos esse v. 572—576 post 566, tamen hoc modo huius loci intellegentiam nondum satis apertam inveniemus.

Equidem verba sic interpretor:

Agit Phineus de optima Cyaneas percurrendi occasione. Tunc, ait, fuga properanda est, cum saxa in medio sunt recursu, i. e. cum post collisionem dimidium viae, quae est inter concursum et maximum intervallum, emensa sunt. Tunc aqua tam levis est, ut remigibus haud ita magnae evadant difficultates, saxis autem magnum spatium (tres enim partes totius

viae, siquidem quotiescunque concurrerant, totum spatium iis erat emetiendum) percurrendum est.[1])

v. 651. Leo vituperat Langenum, quod Baehrensii coniecturam *caecus erat* receperit; servare conatur Vat. cod. lectionem *perculerat viso* commutato in *visus*. At quomodo *antro* abl. potest declarari?

Feliciter Samuelsson locum sanare studet coniectura *idem artus Amyci viso* . . .

v. 714. Emendatio Koestlini bona est sed non necessaria. Si enim, ut etiam Leo vidit, ad priorem enuntiationem *nec — aquas* supplemus apodosin: adaequat Ponti ingentem vim aquarum, non est, cur verba tradita commutemus.

Liber V.

v. 48. Pro *Aesona* Dureau de Lamalle proposuit *Iasona*. At respicias quaeso alliterationem vix tolerabilem.

Equidem versum non ita ineptum esse censeo ut Langen. Voluit dicere Valerius: Quis nunc mortuo Tiphye faciet, ut Iason eiusque socii incolumes ad Aeetem veniant?

Poëtice autem hanc sententiam ita expressit, ut diceret:

Quis nunc navem ita gubernabit, ut non sit, cur Aeson procul in patria saluti filii carissimi metuat?

v. 72. Hunc locum corrupte traditum esse mihi persuasum est. Quamquam enim loco iam a Iortino in Misc. Obss. T IV p. 171 citato demonstratur ancoras aliquando etiam in puppibus pependisse, tamen *puppe sedens* vix teneri potest. Praeterea deest vocabulum in cod. Vat. Qua re commotus Langen duo hemistichia excidisse putat; equidem locum minus violenter sanari posse existimo si legas:

rupe sedens saevas . . .

saevas propter concentum verborum facile excidit; *rupe sedens*

---

1) Cfr. Samuelsson. l. l. p. 118!

melius quam quod Burmannus proposuit *fune haerens* ad hanc sententiam quadrare videtur.

v. 134. Fortasse difficultas huius loci aufertur, si legas:

semianimem patrius quam sanguinem evexerit amnis

sanguis vox intellegenda propago (v. 125) ut Verg. VI 836: *proice tela, sanguis meus!* et accedit una cum *semianimem* appositive ad pron. *quam.*

v. 139. *In signis,* quod habet cod. Vat., iunctum cum vocabulo *furor* prosopopoeia quam vocant apud Valerium non rara; vide veluti VIII 130; 270.

v. 141. Langen assentitur Burmanno, qui locum ita interpretatur, ut dicat: arma sunt instrumenta, quibus Chalybes ferrum tractant; fatigant autem haec instrumenta impigre eis utendo.

Mihi *fatigare* id significare videtur, quod saepe et apud alios et apud Valerium ipsum (III 21; V 602) significat: multo cum labore alicui rei incumbere.

Itaque interpretor: sedule arma, re vera arma, fabricantur.

v. 156. Burmannus *morantem* cod. Vat. lectionem pro moraturum positum esse dicit. Quodsi probamus, non est, cur mutemus lectionem traditam. Etiam Ph. Wagner[1]) *morantem* servandum esse censet; interpretatur enim: Hercules Promethei sortem moratur; non prius enim liberari potuit, quam Hercules eum vinculis solveret.

v. 211. Commutat Langen traditum vocabulum *proram* in *puppim* coll. Luc. Phars. III 545. At prorsus aliam illi loco subiectam esse notionem atque huic Langen non vidisse videtur. Nam non inversas esse rates dicit Lucanus, sed resiluisse ab se invicem in puppes versus, quod fieri solet post navium concursum. Argo autem se vertit in proram, i. e. ut prora fluminis os pontumque spectet.

1) Philol. 20, 624.

v. 246. Probabilis fortasse emendatio: *vae mihi!*[1])

v. 282. Equidem censeo difficultatem si non prorsus auferri (*quos* pro utros!), at certe minui signo interrogandi post *petamus* posito; nam quod 285 demum interrogat Minerva, utri parti auxilium ferant, verba *quibus addimur armis* conclusio sunt intellegenda, qua exordium plane et diserte repetitur: Welcher Partei wollen wir uns also anschliessen?

v. 308. - Quando coruscat Iuppiter?

I in tempestate (cum mittit imbres sive grandines tonitribus mixtos)

II cum graves calamitates indicat
sive bellum
sive aliud fatum.

Si igitur v. 308 ita commutatum legimus:

aut alios duros fatorum gentibus ortos

sc. movens, aperiens,[2]) non esse mihi videtur, cur eo offendamur.

Nam sententia satis bona efficitur haec: Iasonis pectus anxium toties suspiriis percellitur, quoties Iuppiter fulgura mittit.

Altera autem comparationis pars a poëta singillatim tractatur.

v. 415. Qui fiat, ut Langen *densaque* pro tradito *densaeque* posuerit, nescio; *densae* versu 46 satis defenditur.

v. 436. Ego non opus esse versus transponere iudico; *ipsa* traditum cod. Vat. et *dux* si referuntur in Palladem, sententia haec est:

eadem dea, i. e. Pallas ipsa et remos velaque fabricatur et dextra sublata (id significat *nuda;* nam sublata manu relapsa est manica) imperat agminibus convocatis.

Valerius Vulcanum aliter rem tractantem facit atque ipse tractavit.

---

1) Meyncke, quaest. Val. p. 44: „haec tua . . . tua nunc“.

2) v. Thilo, praef. p. 22.

v. 509. Ad *non aliena terrisve nostris indebita* refertur *ea; vero* autem non adverbium est hoc loco, sed substantivum pro: veritati. Quare iniuria Langen lacunam significavit.

v. 565. Non possum non assentiri Langeno. Ceterum eandem sententiam iam Thilo et Bulaeus pronuntiaverunt.

Baehrensii emendatio non tam simplex est quam ipse sibi videtur; qui enim potuit fieri, ut poëta aves illustria caeli obscurantes compararet cum armis obscura illustrantibus?

v. 605. Afferri potuerunt hoc loco versus Hom. Od. XI 329 et 330.

v. 625. Iam Lemairius, homo litterarum peritus, citavit Hom. Il. I 574 (non 514, ut Langen scribit). Putat autem Langen Valerium non recte intellexisse Homeri verba: Nos omnes exsurgimus contra te, nam tua est filia furens.

At apud Valerium Mars non talia verba facere potest, quod solus improbat ea, quae Iovi placent. Itaque nil nisi: tu autem delectaris (*iuvat*) filiae petulantia.

v. 638. Hunc locum Langenum non recte intellexisse ex eo efficitur, quod *vel* particulam eliminavit. Proponit autem Mars Minervae dilemma quod vocant hoc:

Protinus eamus in nemus et sumptis armis decernamus

vel tu sola de caelo labere et clam densisque tenebris involuta irrepe in nemus, ut vellus furtim subducas; quantus sim deus experieris nec impune ad nemoris arbores adstiteris: cave draconem meum!

v. 644. Huius loci interpretatio summae laudi est Langeno. Neque Heinsius neque Wagner aut Burmannus intellexerunt Valerii verba.

v. 648. Rectissime Leo[1]) *possint* servandum esse iudicat dicens: *possint* ist nicht nur so ausdrucksvoll wie poscant trivial,

---

1) l. l. p. 968.

es ist auch in den an Zeus gerichteten Worten so richtig gedacht wie poscant unrichtig: es zu fordern steht bei ihnen, dass sie es nicht vermögen, bei Iuppiter.

Ibi etiam *vince precor* v. VII 163 servat vir doctus iisdem de causis, quibus ego adductus sum, ut verba tradita servanda esse existimarem. Videas quaeso VII 163.

v. 670. Etiam hunc versum valde dubium omnium optime Leo interpretatus est

fas aliquae nequeat sit femina — coeperat ardens
sic iterum . . .

Optime quadrant haec verba ad Martem; interrumpitur ab Iove.

In distribuendis valvarum picturis (V 416—455) libenter iis, quae Langen accuratissime exposuit et demonstravit in ind. lect. aest. Monaster. 1894, p. 7 sqq. assentior.

Quae O. Rossbach, Berl. phil. Wochenschrift 1895, p. 235/36 de hac re disseruit, minus mihi placent.

Liber VI.

v. 26. *Medio tempore* cum Langen interpretetur: nocte, quae est media inter pugnas per diem fieri solitas, oblitus esse videtur pridie illius diei omnino non pugnatum esse sec. v. V 275/76.

Significavit poëta tempus, quod est inter actiones caelestes et Martis in terram adventum. Probatur etiam Lemairii interpretatio: tempus indutiarum.

v. 47. Ad utrumque comparativum *gratior* et *beatior* Langen dicit audiendum esse: quam Iason.

Ego rem ita intellego:

orba aulā ablativus causae sive absolutus attinet ad utrumque comparativum ita, ut haec sententia evadat:

Anausis, cum aula eius orba (sc. Medeā) sit futura, ipse gratior deis et beatior erit, quam si Medea in eam intravisset.

v. 64. Ad *percurrens* melius *crinis* subiectum audiendum

esse mihi videtur quam Auchus. Langen enim putat Auchum vittam triplici vinculo circa caput propter senectutem magnam partem calvum nexuisse.

Sed praeterquam quod vittae etiam in capite bene capillato spatium est, qua de re Langen dubitasse videtur, et quod percurrendi verbi notio quae est: ich lasse herumlaufen, ziehe herum inusitata est, equidem etiam Ov. Am. I 14, 3 *quid erat spatiosius illis?* adducor, ut Burmanni et Wagneri sententiae accedam.

v. 81. *Coelaletae* Thilonis coniectura si probanda est, Valerium etiam Hyrcanorum nomine gentem Thraciae significasse verisimile est. Vide Steph. Byc. s. v. Ὑρκανία· πόλις Θρᾴκης.

v. 176. *Semineces* coll. Sil. Ital. IX 463 optime explicari potest. Ibi scriptum est:

Erexere omnes immania membra chelydri
Aegide commota.

Languidi capitis Gorgonei crines eriguntur, simulac dea commovit aegida. Sunt igitur crines modo vividi modo inanimati, i. e. semineces. Quare haud inconsiderate, ut Thilo putat praef. p. 25, Valerium hoc vocabulo usum esse apparet.

v. 230. Fortasse latet in vocabulo suspecto adiectivum quod quadrat ad *viris,* veluti *confusis* sive *protrusis.*

v. 237. Cod. Vat. non, ut Langen putat *relingui* sed *religi* Thilone teste traditum est.

refingi quod Langen coniecit, bonum est. Ego cogitavi de *refigi,* quod et bene quadrat ad orationem contextam et propius accedit ad lectionem traditam.

reponi quod Baehrens coniecit, nisi nimium differret a codicis scriptura, commendaretur Sil. It. XI 686, ubi de eodem Sarmatico conto agitur, id quod sane Baehrens ipse nescivisse videtur.

v. 256. Locum obscurissimum sic interpretor: Onchea equus citato cursu (*praeceps*) infert hastae ei obtentae (*adverso*

conto) neque potest eum retinere, quamquam omnibus viribus obnititur.

Pro *accedit* Baehrensium secutus lego *accepit* suppleta voce *contum*.[1])

Perfodit contus corpus equi, perfodit et ipsum equitem. Moribundo arma e manibus elabuntur, cuspis e corpore eminens manat sanguine.

Ita si interpretamur, ne uno quidem vocabulo addito etiam comparatio facillime intellegitur. Is enim, qui equum Onchei et illum ipsum hasta excipit, optime confertur cum aucipe, Onchei terror cum trepidatione volucris alas concitantis.

v. 351. Locus sine dubio corruptus. Sed Baehrensii coniecturam *funere* non probare possum. Fortasse poëta cogitavit de pugna media in pugna circa corpus Canthi exardescente. Vocabulo autem quo usus sit Valerius nescio; suspicor: *in vortice.*

v. 442. Afferri potuit hoc loco Luc. Phars. IX 691 *premit orbita Solis.*

v. 453. Non aliter versum aperte corruptum sanari posse existimo, ac si legas:

quippe parem, quae si medio stet in agmine flammae
nullum mente . . .

Subiecti vim obtinet *Iason*, quod vocabulum ad *horrescere* supplere haud alienum est a poëtarum usu; *stet* pro *adsit* vel *adstet* positum est.

v. 561. *cassus* non sic simpliciter pro *moribundus* positum esse, sed determinari antecedentibus vocabulis *animam lucemque* recte notavit Leo.

v. 614. Meynckius[2]) vocabula *spargit famem* virga notat censoria.

Ac tertium quod vocant comparationis in eo positum est, quod leo non satis habet unum tantum bovem caedere sed

1) Quod probari video Koestlinio Philol. 39, 36.
2) l. l. p. 49.

plures lacerat, quae res voce *fames* melius significatur. Meynckius ipse *saniem*, Baehrens *pascit famem* proposuit, quod et ipsum bene quadrat ad comparationem.

v. 710. *liquido* non ita intellego ut Langen. Wagner vocem melius ita explicasse videtur: in fila ducto vel in tenues laminas tracto.

Filae aureae, quibus mater comas pertexuerat in cirris quasi ipsae fluitare videbantur.

Comparetur Hom. Il. XVII 52.

Liber VII.

v. 161. *dolet ac* Vat. Langen *dolet ah!* (in parenthesi) haud felicius quam VIII 164 *aliena ah! gaudia.*

Ut enim dolor idem fere potest significare quod ira, ita dolendi notio generalis quaeque omnes molestiae sensus amplectitur, singulari ac propria vi determinari posse consentaneum est, praesertim si, ut hoc loco, eo substantivo, ad quod pertinet, definitur. Quare *dolet conversa in iram et furias* idem fere significat quod: ardet vehementi ira.

Qui porro Langen Medeam non deceptam esse ab Iunone serio dicere potest? Nonne omnia, quae dea molitur in virginem, fraudes sunt et insidiae? *non* igitur retinendum est.

v. 163. *vince precor* Vat. cod. scriptura non mutanda est. Repetitio voc. *precor* mira sane aliquomodo tamen non aliena a poëtarum dictione;[1]) quod autem Langen rogari posse aliquem ut pugnet, non ut vincat dicit, Iuno adeo confidit praepotenti Veneris naturae, ut ne paulum quidem quin amorem sit effectura, dubitet.

v. 169. Langen Loehbachium secutus Vat. lectionem in *fallat et* commutavit. Alii alia coniecerunt. Ego prius illud

---

1) Samuelsson l. l. p. 129 remittit ad Woelfflinium: Die Gemination im Lat. (Sitz. Ber. d. Ak. d. W. zu München 1882).

solvat retinendum esse censeo propter *spirae* vocem antecedentem. Alterum *solvat* cum reiciendum appareat, versum, ut bona prodeat sententia, ita lego:

solvat et insomnem hac ingenti pellat ab orno.

v. 184. Haud ita inepte poëta Hecates cantum *trilinguem* appellavit. Significat profecto Valerius unicuique trium capitum propriam linguam fuisse, quae cantum ederet ita quidem, ut concinnus cantus efficeretur.

v. 186. Quamquam Leo laudavit Langenum, quod lacunam significasset post v. 185, ego argumentis, quae vir doctus attulit, non adducor, ut idem sentiam. Iunonis enim responsum desiderari non existimo; post Veneris verba fidentissima quid illa responderet? Quod autem Langen dicit desiderari responsum deae illum iam intellexisse, qui versus interpolasset a Pio allatos, errat; neque enim in illis versibus ulla fit mentio responsi Iunonis.

Facili emendatione *Iuno* pro *tunc* difficultas aufertur. Laudanda autem est *advocat* coniectura.

v. 194. *languor* Langen in *fervor* commutat. Loco simili Horatius (epod XI 9) languoris vocabulo significat intemperiem istam, quae Graeca lingua *μελαγχολία* dicitur. Haec autem maestitia ut interdum commutatur in diversum animi affectum, dico vehementissimam concitationem — facillime enim in animi statibus quae sunt sibi opposita concurrere constat — ita Medea, ubi primum queri coepit, ex animi languore in aestus incidit eosdemque vehementiores quam unquam antea.

v. 226. Leo iure Langenum vituperat, quod pro Vat. cod. scriptura *quippe etiam repetentur munera divum* Heinsii coniecturam ieiunam receperit. Iam Pius recte interpretatus est hunc locum ne uno quidem vocabulo Vat. commutato. Etiam Lemairius verba tradita servat sed falso interpretatur.

v. 259. Langenum hoc loco ingeniosissimam Madvigii coniecturam *aëriis* non recepisse miror. Deinde *oris* pro *auris*

posuit neque causam permutationis attulit. Hoc reputavisse videtur: Medea suspicaretur, si Venus aëre sese delapsam esse diceret. At oblitusne est Langen Medeam optime scivisse Circae magae iter per aëra non minus solitum fuisse quam ipsi, quam curru a draconibus vecto aëra pervolasse constat?

Multo autem intricatior et adhuc nondum satis apertus est versus 261. Ne Madvigii quidem, viri acutissimi, coniectura difficultatem aufert. Diu rem animo volvi ac revolvi, postremo coll. Verg. eclog. VI 35 et Macr. Sat. l. VI c. 3 pro *dimittere* quae vox sedes difficultatis esse mihi visa est, posui *discludere.*

v. 302. Bene comparari potuit v. 79. *infectis* suspectum mihi est; fortasse sarciri potest voce *innexis.*

Langeni autem explicationem non probare possum. Ego locum obscurissimum ita interpretor:

Eodem tempore, quo Pentheus Bacchum vinculis tenet, ipse a Bacchis furibundis inprimis a matre sua opprimitur. *Accipere* per zeugma quod vocant ad tria subiecta attinet: tegmina matris amplectuntur, tympana ferit, thyrsus illidit eum.

v. 341. Nonne vidit Langen *rogat, te* metricis de causis vix tolerari posse? Probo Leonis coniecturam, qui ita verba iungenda esse putat:

qui te nunc invocat, unam
qui rogat? et nostro quom primum in litore vidi,
cur tibi fallaces . . . .

v. 370. Confer, quid Leo [1]) ad hunc locum notaverit. Non intellego, quomodo fieri potuerit, ut Langen, vir doctissimus, talibus exemplis coniecturae suae auctoritatem tribueret; scire debebat neutrum comparativi semper adverbii vim obtinere.

v. 371. Ita interpretandum esse censeo: Medeae, ut magae, regna sunt ea, quae ab umbris et daemonibus habitantur, quorum quasi fetus sunt draco vellus custodiens, tauri ignem vomentes, viri terra editi.

---

1) l. l. p. 955.

v. 441. Eximia mihi esse videtur Leonis coniectura, qua Vat. lectio servatur:

nempe hanc animam (sc. Iasonis) *cras saeva manebant funera. Iuno ubi nunc* . . .

v. 516. Non necessarium est huc transponere versum, qui in libris post 518 invenitur. Si enim addas vocabulum *nam*, satis liquent verba, etsi non transponuntur.

v. 559. „Locus obscurissimus, quo quid dicere voluerit Valerius, nunquam opinor ad liquidum perduci poterit.“

Ita Langen.

Omnes fere docti, qui Valerio interpretando vel emendando tribuerunt operam, huic loco lucem afferre studuerunt. Quodsi ego quoque quid sentiam de his verbis sine dubio corruptis in medium profero, non repperisse me solum vera poëtae verba contendere velim, sed in quaestione tractanda aliam atque adhuc initam esse video rationem sequar.

Versum de quo disceptatur, lego ita:

stabat, ut extremi desertus litoris assis,
quem iam lassa dies . . .

Tertium quod vocant comparationis in voce *solus* esse positum ex verbis ipsis apparet. Sed admiscuit poëta huic imagini alteram rem ita tractans, quasi iam disseruisset de tauris eorumque flatibus, quibus Iason desertus ab iuventute Pagasaea involvitur ita, ut saxum (*assis* sive postis vocabulum per imaginem haud inopinatam pro saxo a poëta positum esse sumo) in litore solum prominens, quod caligine ingruente arenaque austris collecta, aut ut saxum in Scythicis montibus exstans, quod nive pruinaque e conspectu tollitur.

Coniecturae meae auctor est Apoll. Rhod., qui Γ 1293 sqq. Iasonem flatibus taurorum circumvolutum comparat cum saxo dicens:

ἅτε σπιλὰς εἰν ἁλὶ πέτρη.

v. 578. *Errantem dextra ciet obvius ignem.* Langen Wagnerum secutus interpretatur ita, ut Iason gestu manuum tauros ignivomos provocaverit.

Equidem non ita sentio; immo hoc loco poëtam dicere voluisse iudico Iasonem clipeum ita tauris obvium vibrasse, ut solis radii (fortasse et ipsae flammae e taurorum naribus elucentes) ab aere levissimo repercussi taurorum oculos laederent ipsosque ad aggrediendum instigarent.

Quae interpretatio et melius quadrat ad verba praecedentia et commendatur Ap. v. 1295 l. III:

πρόσθε δὲ οἱ σάκος ἔσχεν ἐναντίον.

v. 586. *Viso veneno* pro: postquam veneni vim sensit habendum esse censeo. *Flamma* enim subiecti vim obtinet et mihi quidem prosopopoeia quam vocant leniri videtur, si obiectum sevocatum a sensibus accedit ad subiectum, quod vita sensuque caret.

Multo felicius sine dubio Apollonius hanc rem tractavit his solis verbis

κούρης δέ ἑ φάρμακ' ἔρυτο.

v. 601. Taurum suis ipsius flatibus se defatigasse, ut Langen putat, ego credere non possum. Vat. lectionem retinendam esse censeo; *defixus* enim idem valere quod immobilis constat; vide Horatianum illud *defixa caelo sidera* sive Taciteum *defixerunt aciem in his vestigiis.* Ita taurus pondere corporis Iasonis incubantis ne moveatur impeditur; Iason autem ita premit taurum, ut flatu suo eum tangat.

v. 620. Vix dubium est, quin *sequenti* corrupte sit traditum. Fortasse legendum

rutilum thoraca minantem

premit non eliminandum esse iudico; significat enim antevenisse Iasonem terrigenas, qui cum iam manus eorum e terra prominerent, iacula in eum conicere parabant.

Liber VIII.

v. 163. *Tempora* vix sanum, sed nondum repertum, quod probari possit.

E numero emendationum prolatarum Dorvillii memorabilis est. Proposuit vir alioquin observandus *pocula* pro *tempora* quasi potatrix fuerit Medea, ut recte dicit Baehrens. *te ioca* quod hic coniecit, haud difficilem explicatum praebet.

Sed omnino nihil mutandum esse ego censeo Burmannum secutus, qui *tempora* dies laetitiae et hilaritatis plenos intellegit. Ac certe devictis hostibus festos illos dies fuisse putandum est.

v. 164. *Alieno gaudia vultu* optime explicari posse existimo. Vultus tui, ait Idyia mater, inde a prima pueritia usque ad hoc tempus mihi notissimi atque experti nunc alieni facti sunt et miro quodam gaudio interdum clarificantur (heller Freudenschein auf den mir fremdgewordenen Zügen).[1])

De Langeni coniectura videas quaeso, quid ad VII 161 dixerim.

v. 202. Versus 212—216 non suo loco legi dicit Langen. Cur ego non ita sentiam, paucis disseram.

Quod Langen vituperat sero, quali animo sit Medea fugiens, commemorari, retrospicientes vix aptiorem locum ad depingendos Medeae animi motus reperiemus. Post ipsam enim fugam multo graviores res, veluti perturbatio apud Colchos facta, consilium Argonautarum de reditus ratione, erant commemorandae.

Quod autem Langen miratur poëtam Carambis nubiferae et regnorum Lyci mentionem facere, respiciendum esse mihi videtur· itinere unius diei et noctis facto Erginum Argonautis suasisse, ut alia via domum redirent. Itaque navigant nulla mora interposita transverso mari Pontico in septentrionalem oram Sarmaticam. Uno die eos non ita longum iter emetiri potuisse apparet; certe non iam usque ad Carambim pervenerant. At qui fit, ut Iason illas regiones significet? Scilicet ut Medeam consoletur simulans brevissima via Argonautas in Thessaliam navigare.

---

1) Cf. Samuelss. l. l. p. 133.

Locum si ita intellegemus, neque versus transponere opus erit et sententia verborum Sarmatici ponti, Thoanteae Dianae facillime patebit.

Ceterum comparentur Apoll. versus IV 298—302, inprimis *οὐ δὲ Κάραμβιν γνάμψαν.*

v. 285. Locus quo haud scio an nullus magis incitaverit doctorum hominum sagacitatem. Corrupta est sine dubio Vat. scriptura. Thilo tres lectiones varias et octo doctorum emendationes enumerat. Accedunt coniecturas Koestlini, Baehrensii, Madvigii, Langeni, nuperrime Leonis.

Langen quidem propius accessisset ad verba tradita, si *vox illa* recepisset. Verba *orans iterum ventosque virosque* si attributi vim obtinent, Langeni emendatione cur offendamur nulla causa est. Attamen offensus est Leo, qui nihil omnino mutandum esse censuit.

At *supplex rēmigis* metricis de causis suo loco non sunt retinenda. Accedit, quod Leonem prorsus falsa de loco, quo Absyrtus haec verba fecerit, tenet opinio. Neque enim Colchide cum classe profecturus Medeae frater haec locutus est, sed, ut ex vv. 261—64 et 291 apparet, prope Peucen insulam.

Itaque quae Leo ad explicandum locum proposuit, refutanda sunt.

v. 328. Nonne *intra Minyas Argoaque vela* ita explicari possunt, ut Stiri navem eo usque propulsam esse dicamus, quoad possent tela conicere Minyae stantes in nave sua?

v. 448. Quod Langen Peucen insulam montibus caruisse putat, neglegentia praeterisse videtur Ap. Rhod. Δ 315
οἱ δ' ὑψοῦ νήσοιο κατ' ἀκροτάτης ἐνέοντο et 323 *Ἄγγουρον ὄρος*, unde insulam haud planam cogitasse poëtam apparet.



